

Beiheft

2

S 115

1278 Nov. 30 — Dez. 7.

[50
115

Der Ritter Hermann von Lüdinghausen verkauft das Beykehus, Rspl. St. Lamberti in Coesfeld, an das Kloster Barlar.

Nos Hermannus miles de Ludinghusen omnibus praesentia visuris et audituris cupimus esse notum, quod nos, Ermengardis uxor nostra et Hermannus filius noster bona et proprietatem bonorum in Hembrugghen, videlicet Beykehus, sita in parochia sancti Lamberti in Cosvelt, quae nos libera proprietate contingebant, cum agris, pratis, pascuis, lignis, cespitibus et omnibus suis attinentiis domino praeposito et conventui ecclesiae Varlarensis coniunctis manibus tradidimus et contulimus jure proprietario pro propriis bonis perpetuo et libere possidenda, abrenunciantes proprietati seu juri, quo nobis competebantur (!) vel competere possent in futuro, nihil enim in his juris, fructus vel commodi nobis vel nostris haeredibus reservantes. Damus etiam ipsis liberam et perpetuam potestatem ordinandi de dictis bonis, prout eorum discretio decreverit ordinare. Ut autem haec rata et firma permaneant, praesentem litteram ipsis tradidimus sigilli nostri munimine roboratam. Datum anno Domini M^oCC^oLXXVIII infra octavam Andreae, praesentibus et protestantibus Buchardo³⁾, fratre nostro, Gerlaco de Beveren,

Herbordo Culen, Joanne de Cussvelt, Hermanno Rost, Wescelo de Specken, militibus; Alexandro clerico plebano in Ludinghusen, Joanne dicto Morrian, Machario de Kemenata, Arnolde de Havixbecke, Sifrido, Alberto de Achterhuis et aliis fide dignis.

Kopie im Barlarer Kopiar S. 56/57.